

SECTIO III.
 DE
PAROCHIS,
PAROCHIANIS,
 VT ET
PAROCHIIS.

CAP. I.

De

Parochis eorumque constitutione.

§. I.

Propius ad ipsa iura parochialia accessurus, necessarium esse duco, quædam de *statu parochorum* præmittere. Personæ enim qualitas & conditio ante omnia inuestiganda est, vt accurate iura personæ attributa explicari queant. Ad tria autem maxime capita totam causam reducam: (1) exhibebo modos vocandi & eligendi parochos: (2) ordinationem vt & introductionem seu inuestituram eorundem percurram: (3) denique qualitates & propria parochorum requisita enucleabo.

Methodus dicendorum.

§. II. PAROCHI, die Pfarrer, sunt personæ ecclesiasticæ per legitimam vocationem seu electionem ecclesiæ parochiali populoque in parochia illa degenti præpositæ ad docendum verbum Dei, intra limites sibi præscriptos, ius habentes exigendi a parochianis omnia illa, quæ vi iuris parochialis ipsis debentur. Definitionem hanc fusius explicare supersedeo,

Parochi quid?

M 3

cum